
Fastorum Horatianorum Epicrisis

Wilhelm von Christ


SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM THE
SUBSCRIPTION FUND
BEGUN IN 1858.
22 June, 1882.

VIRO CLARISSIMO

LEONARDO DE SPENGEL

DIEM XX MENS. MARTII

QUO DIE ANTE HAEC DECEM LUSTRA SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS PUBLICE ORNATUS EST

CONGRATULATNUR

SODALES ORDINIS PHILOSOPHORUM UNIVERSITATIS LUDOVICO-MAXIMILIANEAE MONACENSIS

PIA COLLEGARUM VOTA

INTERPRETANTE

GUILELMO CHRIST.

(FASTORUM HORATIANORUM EPICRISIS)

MONACHII 1877.
IN LIBRARIA ACADEMICA M. RIEGER.
(GUSTAV HIMMER.)


SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL :
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM THE
SUBSCRIPTION FUND
BEGUN IN 1858.
22 June, 1882.

VIRO CLARISSIMO

LEONARDO DE SPENGEL

DIEM XX MENS. MARTII

QUO DIE ANTE HAEC DECEM LUSTRA SUMMIS IN PHILOSOPHIA
HONORIBUS PUBLICE ORNATUS EST

CONGRATULATNUR

SODALES ORDINIS PHILOSOPHORUM UNIVERSITATIS LUDOVICO-
MAXIMILIANEAE MONACENSIS

PIA COLLEGARUM VOTA

INTERPRETANTE

GUILELMO CHRIST.

(FASTORUM HORATIANORUM EPICRISIS)

MONACHII 1877.
IN LIBRARIA ACADEMICA M. RIEGER.
(GUSTAV HIMMER.)

VIRO CLARISSIMO

LEONARDO DE SPENGEL

DIEM XX MENS. MARTII

QUO DIE ANTE HAEC DECEM LUSTRA SUMMIS IN PHILOSOPHIA
HONORIBUS PUBLICE ORNATUS EST

CONGRATULATNUR

SODALES ORDINIS PHILOSOPHORUM UNIVERSITATIS LUDOVICO-
MAXIMILIANEAE MONACENSIS

PIA COLLEGARUM VOTA

INTERPRETANTE

GUILELMO CHRIST.

(FASTORUM HORATIANORUM EPICRISIS)

MONACHII 1877.
IN LIBRARIA ACADEMICA M. RIEGER.
(GUSTAV HIMMER.)

1882, June 22.
Subscription fund.

LEONARDO SPENGELIO

S. P. D.

GVILELMVS CHRIST.

Fausti diei memoriam, quo tu, vir praeclarissime, ante hos quinquaginta annos ornamentis doctoris philosophiae auctus es, cives nostrae academiae concelebraturi non haesitabant, quo potissimum honoris genere laetum gratumque animum tibi testificarentur. Quo enim modo Socrates ille Platonicus epularum ob Agathonis victoriam institutarum strepitum fugit atque familiaria viri elegantissim icolloquia petiit, ita tibi quoque, quo es animo simplici et ab omni prava ambitione alienissimo, epularum apparatus publicaeve pompae solemnitatem plus taedii quam voluptatis esse paratura, commercium litterarum de iis, quibuscum intimam familiaritatem contraxisti, scriptoribus institutum non ingratum fore existimavimus. Equidem autem, licet summo ardore felicissimi huius diei digne concelebrandi flagraverim, tamen hoc munus ab amplissimo philosophorum ordine mihi iniunctum non sine dubitatione in me recepi. Primum enim verebar, ne iustae summi ordinis exspectationi, cum tibi, qui et princeps in hac sede academiae nostrae honoribus doctoris philosophiae ornatus sis

et mox per longam annorum seriem praesidium et decus almae matris nostrae fueris, non vilia dona offerri vellet, meis exiguis viribus parum satisfacere possem. Deinde nonnihil quoque commovebar tui iudicii severitate, qua errores nostratium philologorum insectari et fucata noviciorum magistellorum commenta spernere consuevisti. Principum enim philologorum, Scaligeri Bentleii Wolfii, libris tu nutritus eorumque cum doctrinae copiam tum ingenii acumen aemulatus pervulgatum recentium philologorum morem angusti circuli limitibus sua studia includendi vilipendis et plurimorum criticorum coniectandi pruriginem veteresque scriptores levissimis commentis interpolandi temeritatem ferro ignique impugnandam esse censes. Inde mihi quoque, qui ut levitatis crimen religiose fugiam, ita a noviciorum, quos vocas, philologorum consiliis non prorsus me abhorrere sentiam, verendum esse intellexi, ut omni ex parte meae rationes tibi probentur. Nihilo tamen secius voluntati nostri ordinis meam curam in gratulatorio libro conscribendo exposcentis lubenti animo cessi, facilius tuum fastidium, si mea inventa exspectato minus tibi placerent, quam omnium bonorum hominum opprobria, si optimi magistri eximiae benevolentiae gratiam debitam non retulisse viderer, ferendum esse ratus. Ut enim alii sint inter sodales philosophici ordinis, qui felicioribus ingenii foetibus tua sacra semisaecularia ornare possint, tamen nullum esse meo iure dico, quem instituendi cura, adiuvandi humanitate, provehendi gratia me magis tibi devinxeris. Tu philologiae saluberrimae disciplinae ut me traderem singulari tua animi alacritate iuvenem compulisti, tu in Aristotelis philosophi, Varronis grammatici, Lucretii poetae libris cognoscendis dux et antesignanus mihi fuisti, tu in aliis quoque philologiae partibus prudentissimis consiliis me semper adiuvisti. Quid? quod non solum tuae disciplinae severitate, sed etiam intimae familiaritatis suavi-

tate frui mihi licuit, ut te quoque laeto animo felicium horarum memoriam recolere confidam, quibus in grata hortulorum tuorum umbra philosophis et poetis graecis latinisque legendis delectabamur. Accipe igitur, dilectissime doctor, ab discipulo eodemque collega et amico litteratorium hoc munusculum, quod si nulla alia re, at brevitate tamen tuam laudem merebit. Saepe enim numero te conquerentem audivi nimiam istam, quae nunc cum maxime laudatur, sedulitatem, qua plurimi philologi res minutas scriptorumque cuiusque dicendi proprietates, licet ad verba eorum expedienda aut emendanda prorsus nihil conferant, tanto molimine perscrutantur, ut in uno scriptore defixi pedem proferre totumque graecarum latinarumque litterarum orbem peragrare nequeant: neque immerito operosa nostrae aetatis doctrina rem eo deductam esse doles, ut aditus ad penetralia veterum litterarum obstruatur magis quam aperiatur, et iuvenes speciosae doctrinae gloriolam potius venentur quam studio scriptores ipsos legendi et in sucum vertendi teneantur. Quod igitur mones, ne illud Callimachi *μέγα βιβλίον μέγα κακόν* neglegamus, hoc ita in mea commoda convertam, ut *δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε* tibi acceptam fore sperem. Tu autem ut valeas atque integra et mentis et oculorum acie laeta in senectute fruaris, auspicatissimis votis Deum Optimum Maximum precamur.

Fastorum Horatianorum epicrisis.

Horatii carmina quo quodque tempore composita sint novisse cum plurimum referat, ut et poeta quid singulis locis significaverit et quam viam in arte sua perpolienda permensus sit recte aestimemus, viri docti iam decimo septimo saeculo temporibus carminum definiendis operam navare coeperunt, qua in re exploranda facile palmam meruit Joannes Massonius, qui in Vita Q. Horatii Flacci ordine chronologico delineata doctissime acutissimeque omnem hanc quaestionem pertractavit et chronologiae Horatianae fundamenta iecit certissima. Sed cum et Massonius et qui ante eum in hanc arenam descenderant, Tan. Faber Rodellius Dacerius, in singulorum carminum temporibus explorandis desudassent, Richardus Bentleius quaestionem ita potius instituendam esse docuit, ut ab temporibus non carminum singulorum, sed librorum definiendis proficiscendum esse diceret. Neque ipse hanc rem copiosa et plena disputatione ad umbilicum adduxit, sed in praefationis angustiis succincte monuit, Horatium sermonum librum primum intra annos aetatis XXVI XXVII XXVIII, secundum annis XXXI XXXII XXXIII, deinde epodos a. XXXIV et XXXV, tum odarum[1]) librum primum a. XXXVI XXXVII XXXVIII, secundum a. XL XLI, tertium a. XLII XLIII, inde epistolarum primum a. XLVI XLVII, tum odarum librum quartum et carmen saeculare a. XLIX L LI, postremo artem poeticam et epistolarum librum alterum annis incertis conscripsisse. Hac in temporum definitione quamquam nonnulla parum caute statuta et Massonii rationes, multo illae quidem subtiliores, immerito neglectae sunt, tamen summam rei a viro ingenioso recte perspectam esse omnes consentiunt. Etenim et post satirarum libros duos conscriptos Horatium iamborum carmina in lucem edidisse, et epistolarum

1) Carminum librum dixit Bentleius et codicum fidem et grammaticorum auctoritatem secutus, nos Martini Hertzii exemplum secuti, ne res diversae confunderentur, carminum vocabulo latiorem vim ita tribuimus, ut lyrica carmina graeco vocabulo odarum significaremus.

librum alterum odarumque quartum longo intervallo post priores libros editos et populi favore iam probatos composuisse nemo non concedit, neque epistolas ante tria odarum volumina completa esse evulgatas omnes fere viri docti cum Bentleio consentiunt. Sed idem Bentleius neque ab exploratis librorum cuiusque temporibus ad tempora carminum singulorum definienda progressus est et in lineamentis ipsis chronologiae Horatianae adumbrandis plus uno nomine erravit. Nam ut angustioribus limitibus singulorum librorum compositionem ab eo circumscriptam annorumque calculos parum circumspecte subductos praetermittam, odarum tres priores libros temporum discriminibus falso disiunxit et probabilitatis fines evagatus est, quod, cum iambos et odas post satiras foras editas esse recte intellexisset, poetam iuvenem ab lyricis carminibus pangendis prorsus se abstinuisse iudicavit. Quod vero inter cancellos a se constitutos omnium poemation natales esse ponendos ex argumentis singulorum carminum et ex annalium fide constare dixit, id superbius quam prudentius eum dixisse existimandum est, siquidem temporum indicia a Massonio ex argumentis singulorum carminum diligentissime collecta ne respicere quidem dignatus est. Nihilo minus tanta fuit sive Bentleii auctoritas sive ceterorum philologorum inertia, ut diu interpretes Horatii in Bentleiana temporum ratione acquiescerent. Hoc demum saeculo Bentleii rationes cum Car. Vanderburgius in editione Carminum tom. I p. 314 sqq. prudenti et cauto iudicio labefactare coepisset, Car. Kirchnerus in Quaestionibus Horatianis subtili disputatione evertere ausus est. Sed licet contra Bentleii calculos multa ille verissime disputaverit et plurimarum odarum tempora rectissime exploraverit, tamen neque omnes partes chronologiae Horatianae pertractavit et in sermonum epistolarumque temporibus definiendis minus feliciter versatus est. Totius vero quaestionis denuo excutiendae provinciam in se recepit et egregie administravit vir doctissimus Car. Frankius libro notissimo, Fastis Horatianis inscripto et anno MDCCCXXXIX in lucem edito, qui liber spectanti disserendi sagacitatem et disputandi diligentiam cum iam per se satis commendationis haberet, maiorem insuper auctoritatem epistola Car. Lachmanni adiecta nanctus est, qua vir ille praeclarissimus se Frankii rationes tantum non omnes probare declaravit. Unde factum est, ut plerique viri docti, etiamsi de nonnullorum carminum temporibus dubitationem moverint, tamen cardines rationum Frankianarum convellere non auderent. Equidem ut viri de Horatii interpretatione promovenda meritissimi laudi quidquam detra-

here vereor, ita una in re gravissima, quod carminum libros tres priores ante annum 730/24 editos esse censuit, et ipsum errasse et alios in errores induxisse persuasum habeo. Hanc igitur rem accuratius explicare argumentisque ita confirmare in animum induxi, ut oblata occasione uterer ad alias quoque nonnullas quaestiones Horatianas illustrandas atque expediendas.

Inter odarum librorum trium priorum et epistolarum libri primi tempora quae ratio intercederet, ex duobus maxime argumentis colligendum esse viri docti censuerunt. Alterum nititur decantatis versibus extremae epistolae libri primi (Epist. I, 20, 26—8):

Forte meum si quis te percontabitur aevom,
Me quater undenos sciat inplevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo dixit Lollius anno.

Nam cum et poeta hac epistola vicesima consilium primi libri in lucem emittendi aperire videatur et M. Lollium Q. Aemilium Lepidum anno u. c. DCCXXXIII sive a. Ch. n. XXI consules factos esse Cassii Dionis 54, 6 et fastorum consularium testimoniis exploratum sit, epistolarum librum primum inter mensem Decembrem huius anni eundemque mensem insequentis anni in lucem editum esse statuerunt. Alterum argumentum ex lepidissima epistola decima tertia eiusdem libri repetitur, qua Horatius poeta Vinium quendam Asellam signata volumina Caesari Augusto reddentem inducit. Etenim quod et carmina (v. 17) illum ferentem facit et plurali numero voluminum utitur, consentaneum esse videtur, ut poetam odarum libris tribus prioribus, quos ante quartum librum scriptos esse cum temporum rationibus tum Suetonii in Vita Horatii testimonio constat, hanc epistolam comitem dedisse colligamus. Jam cum epistolam tertiam decimam ante vicesimam, ut quae epistolarum agmen claudat et epistolarum librum edendi consilium contineat, compositam esse certum sit, odarum libros tres priores non solum ante epistolas evulgatas, sed etiam ante a. 734/20, modo recte huic anno epistolarum libri primi editionem adsignavimus, in lucem editos esse consequitur. Atque priori huius conclusionis parti illud quoque favet, quod Horatius in epistola decima nona, Maecenati illa quidem missa, quo pacto sua carmina invidiam grammaticorum et imitatorum inepta studia excitaverint, urbane exponit. Quo enim iure verba *„Parios ego primus iambos ostendi Latio“* ad iamborum sive epodorum librum universum rettulerunt, eodem iure verbis *„Alcaeum ego non alio dictum prius ore latinus volgari fidicen“* non unum alterumve carmen melicum, sed unum pluresve carminum libros sive

opuscula (v. 35) significari dixeris. Quis enim ferret poetae fastum carmina sua *ingenuis oculisque legi manibusque teneri* praedicantis, nisi multis iam tantoque hiatu dignis carminibus ingenii vim et artis limam suis civibus probasset? Quid, quod ex exordio epistolae dedicatoriae (epist. I, 1, 1—4).

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
Spectatum satis et donatum iam rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo?
Non eademst aetas, non mens

Frankius p. 55 sqq. aliquot annorum spatium inter odarum libros editos et epistolas scribendi consilium ab Horatio initum intercessisse colligit? Sed ut quantum temporis intercesserit, nunc quidem in medio relinquamus, certe ante epistolas Horatium odarum libros edidisse veri simile est.

Odarum vero libros tres priores non separatim, id quod Bentleius voluit, sed coniunctim editos esse, cum alii tum Kirchnerus in libro supra laudato pp. 7—12 luculentissimis argumentis comprobaverunt. Equidem, ut alia mittam, Bentleii opinionem ita redarguam, ut libri primi carmen vicesimum quartum, secundi quartum, tertii decimum quartum eodem fere tempore facta, certe non maiore quam annuo intervallo inter se disiuncta esse doceam. Primo enim quod dixi carmine mortem Quintilii Vari, poetae Cremonensis, quem a. u. c. DCCXXX vel DCCXXXI vita defunctum esse Hieronymus in Chronicis memoriae prodidit, [1]) lugubribus modis prosequitur; secundi libri carmine quarto extremo poeta versibus

fuge suspicari,
Cuius octavum trepidavit aetas
Claudere lustrum

aetatis annum quadragesimum se emensum esse aperte indicat, unde, cum consulibus Cotta et Manlio anni DCLXXXIX mense Decembri poetam natum esse constet, carmen illud anno DCCXXIX exeunte vel DCCXXX ineunte compositum esse sequitur. Eodem denique tempore libri tertii carmen XIV, quod totum in laude Caesaris ab Hispana ora devictis Cantabris suos penates repetentis versatur, scriptum esse, Cassii Dionis (53, 28) testimonio Augustum a. 730/24 ab Hispania Romam rediisse testantis conficitur. Quid multa? Etiamsi singula carmina, prout res aut tempora

1) Duorum annorum optionem dandam putavi, quod ex Eusebii Chronicon editione ab Alf. Schoenio parata (II, 143) in codice Freheriano hanc notationem primo, in reliquis codicibus secundo anno olympiadis CLXXXVIIII adscriptam esse cognovi.

ferebant, iis, quibus quodque destinata erant, seorsim missa esse et in hominum cognitionem venisse lubentissime concedamus, tamen in publicam lucem uno eodemque tempore omnia carmina a poeta edita et in unum corpus trium librorum congesta esse censemus. Quod autem extremum carmen libri secundi epilogi vicem obtinere videtur, Vanderburgius I, 315—321 iusto artificiosius ita explicare ausus est, ut poetam libro tertio, quem duobus annis post duos priores editum esse suspicatur, carmina nonnulla iam ante editionem duorum priorum librorum facta quasi postliminio inseruisse satis improbabiliter statueret. Neque tamen eo temeritatis progredi ausim, ut cum Lehrsio totum hoc carmen ab interpolatore aliquo et imitatore Horatiano fictum et poetae Venusino suppositum esse dicam. Ut enim aliquot versus interpolatorum ope concinnatos et genuinis Horatii carminibus insertos esse persuasum habeo, ita in carminibus Horatianis exstare nego quae tota ab interpolatoribus facta sint. Immo vero Horatium carmen illud non eo consilio, ut carminum libris epilogum faceret, composuisse, sed primum nullo certo consilio lusisse, deinde, cum carmina in lucem edebat, eo loco, quo ab ludicra arte ad gravitatem carminum moralium transiturus erat, aptissime interposuisse censeo.

Carminum igitur libros Horatium non deinceps singulos singulis pluribusve annis interiectis, sed tres priores coniunctos edidisse Kirchnero Frankio aliis prorsus equidem assentior; verum editionem illam ante annum 730/24, sive, ut Lachmanno [1]) et Frankio visum est, anno 730/24 vel 731/23 factam esse non possum non improbare. Cum hac definitione temporum primum omnium tertia oda libri primi

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Japyga,

Navis, quae tibi creditum
Debes Vergilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.
e. q. s.

ita pugnare videtur, ut artificia, quibus difficultates ex illo carmine suis rationibus natas viri docti removere studuerunt, nullo modo mihi pro-

1) Conf. Hall. Literatur-Zeitung a. 1836 p. 259.

bentur. Etenim carmen illud suavissimum, quo poeta Venusinus Vergilium suum Athenas petentem faustis ominibus prosequitur, ad iter extremum vatis Mantuani spectare cum scholiastae veteres iam significassent, recentiores interpretes fere omnes confirmaverunt. Hoc autem de itinere auctor Vitae Vergilii, de commentario Donati sublatae, haec memoriae prodidit: *anno aetatis quinquagesimo secundo* [1]) *impositurus Aeneidi summam manum statuit in Graeciam et in Asiam secedere triennioque continuo nihil amplius quam emendare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret: sed cum ingressus iter Athenis occurrisset Augusto ab oriente Romam revertenti destinaretque non (fort. itinere Asiatico) absistere atque etiam una redire, dum Megara vicinum oppidum ferventissimo sole cognoscit, languorem nactus est eumque non intermissa navigatione auxit, ita ut gravior aliquanto Brundisium appelleret, ubi diebus paucis obiit XI Kal. Octobr. Cn. Sentio Q. Lucretio coss.* Quodsi Vergilius poeta anni 735/19 mense Septembri vita decessit, Horatium candido amico sub vernum tempus eiusdem anni iter Atticum ingredienti hanc oden propempticen misisse veri simile esse duxerunt. Sed cum tam brevi paucorum mensium spatio, praesertim illis temporibus, quibus vaporis ope navium cursum accelerare nondum didicerant, tot res vix confici potuisse videantur, magis Vanderburgii [2]) sententia mihi probatur Vergilii ingressum itineris et Horatii compositionem carminis ad annum proximum, sive a. 734/20 reicientis. Namque si in anno aetatis Vergilii ipso computando Donatum errorem commisisse recte demonstravimus, temeritatis non incusabimur, si eundem grammaticum, qua erat animi levitate, annum, quo poetam mortuum esse invenerat, ad iter inceptum falso rettulisse statuerimus. Sed hac quidem de re si quis secus iudicaverit, equidem litem non movebo, illud probe teneo, Vergilio poetae epico extremum illud iter Atticum ingredienti hoc carmen scriptum esse. Etenim si Vergilium hoc carmine *navi creditum* dici reputaveris, non cogitasse eum de itinere aliquando in Graeciam suscipiendo, sed ad consilium suum perficiendum sese iam accinxisse tibi persuadebis. Quodsi non bis Graeciam eum petiisse aut petendi consilium cepisse ipsa Donati verba satis aperte declarant, optare potius quam probare dixerim, si quis cum Car. Frankio p. 65 et novissimo Horatii interprete Henr. Schuetzio de alio Vergilii itinere Attico

1) Rectius Valerius Probus in Vita Vergilii refert decessisse eum annum agentem quinquagesimum primum. Conferas, sodes, Massonii Vitam Horatii p. 310.

2) Q. Horatii Flacci Carminum libri V. ed. C. Vanderbourg. Lutetiae Parisiorum a. 1812. tom. 1 p. 17.

somniaverit. Quod autem Vanderburgius se mirari dixit Horatium de itinere Asiatico deque Aeneidos perpoliendae consilio tacuisse, quid inter poetam ingeniosum omnes carminis versus ad unum quoddam consilium dirigentem et grammaticum curiosum omnes res sedulo colligentem interesset, perspexisse eum nego.

Multo autem minus iis adstipulari possum, qui hoc carmen aut ad alium, quem Horatius carmine duodecimo libri quarti ad convivium invitat, Vergilium [1]) missum esse, aut in sexto versiculo huius carminis

Debes Quintilium finibus Atticis

scribendum esse opinati sunt. Equidem enim praeclaro vaticinio vatis Horatii lugubrem exitum itineris amici quasi praesagientis sublato egregiam atque ut ita dicam divinam artem huius carminis nimui aegerrime tulerim. Sed ne divinationis lusui cum Cicerone me patrocinari putes, disserendi acumine meam sententiam defendere conabor. Atque cum Vergilio quarti libri, iuvenum nobilium cliente (IV, 12, 9), non eo familiaritatis vinculo Horatium coniunctum fuisse, ut cum animae suae dimidium (I, 3, 8) praedicaret, nemo sanus non persensit. Frankii autem temeritas nomen Vergilii, omnium et codicum et scholiorum auctoritate firmatum, in Quintilium mutantis omni prorsus probabilitate caret. Sed ne codicum fide sola niti videamur, reconditae cuiusdam et quasi arcanae causae necessitate adducimur, ut hoc, de quo agimus, carmen ad Vergilium poetam epicum neque ad alium quemquam scriptum esse statuamus.

Horatius enim, cum ipse sua carmina in lucem ederet, non ut fors tulerat aliud carmen alii subiunxit, sed in digerendis carminibus certas quasdam rationes secutus est. Neque temporis ille, quo quodque carmen composuerat, rationem habuisse videtur; quid enim leporis atque veneris inesset carminum syllogae secundum temporum, quae novisse nihil fere lectorum intererat, ordinem digestae? Schillerus quoque noster carmina sua non ipse secundum ordinem chronologicum, quo vulgo nunc feruntur, ordinavit, sed alias rationes, post mortem ipsius ab editoribus neglectas iniit. Neque illud, quod grammaticos quosdam nostra memoria in seligendis carminibus satis inepte probare ferunt, consilium Horatius ipse secutus est, ut quaecumque carmina iisdem numeris scripta aut ad eundem hominem missa essent congereret atque continuaret.

1) Nihil certi ut relinqueretur in chronologia Horatiana, hoc quoque carmen libri quarti, licet poeta ipse versu *Intermissa Venus diu* melica carmina pangendi curam diu se intermisisse testetur, Vergilio poetae epico missum esse H. Düntzer in Annal. philol. t. 99 p. 328 putavit.

Elegantissimus enim poeta libro talem in modum adornato lectoribus urbanis plus taedii quam utilitatis litteratis hominibus se paraturum fuisse probe perspexerat.[1]) Sed quae universo in corpore trium librorum digerendo poeta spectaverit, plene disputare non huius loci esse videtur; primam autem partem primi libri ita disposuit, ut tria potissimum consilia sequeretur.

Atque primum quidem Horatius, cum numerorum lyricorum arte et melicorum versiculorum modis ex Graecia in Italiam transferendis summam laudem quaereret,[2]) ita rem instituit, ut primorum novem carminum alio quodque stropharum genere componeret et Asclepiadearum stropharum similitudinem interiectis Sapphicis (I 2) et Archilochicis (I 4) numeris dissimularet. Neque praeter novem genera stropharum, quibus novem carmina prima libri primi composita sunt, aliis in quatuor carminum libris usus est, si continuatorum versuum Asclepiadeorum (I 12) et ionicorum (III 12) ac trochaicorum (III 18) numerorum systemata, simplicia illa quidem et invenusta, exceperis. Qua de causa Caesius Bassus, cuius nomine Henr. Keilius eximium fragmentum *de metris*, Atilio Fortunatiano antea inmerito adsignatum, inscripsit, metrorum Horatii exempla ex prima parte primi libri repetivit.[3])

1) Hoc tamen moneo, non numquam Horatium duo pluráve carmina eodem stropharum genere conscripta coniunxisse videri, ut consimili in re illa versari et quodammodo unum corpus efficere significaret. Id animadvertisse mihi videor in Od. III 1—6. IV 14—15; praeterea conferas libri primi carmen trigesimum quintum ita quartum excipiens, ut alterum alteri quasi viam praeparet. Qua de causa ut neque fidem codicum, quorum in nonnullis haec carmina coniuncta esse Kellerianae editionis apparatu critico certiores facti sumus, tamquam vinctis manibus, sequendam esse nec Peerlkampii audaciam libri tertii carmina tria priora in decem partes unius carminis gnomici discerpentis probandam duco, ita illa, quae dixi, carmina arctius quam cetera inter se cohaerere et conexa esse poetam ipsum significasse indico.

2) Conferas inprimis Od. III, 30, 13, Epist. I, 19, 32.

3) Vide Grammatici latini ex recensione Henrici Keilii tom. VI p. 266—70. Bassus quidem, cum primi libri primum et tertium carmen iam antea (p. 259) respexisset, eiusdem primi libri carminum secundi quinti noni octavi metricam compositionem illustravit; qua in re noni carminis numeros ante octavi explicatos esse ne mireris, poetam grammaticum paucis diebus et memoria tantum modo adiuvante (p. 271, 3) librum conscripsisse moneo. Quarti autem et sexti carminis libri primi Horatiani metra Caesius Bassus in deperdita sui libri parte, qua de dactylicis versibus disseruit, exposuisse videtur.

Argumentis, quibus Keilius noster Caesio Basso hoc fragmentum adscribendum esse probavit p. 250—252, locutionem *ad summam* ab Caesio Basso apud Rufinum p. 556, 2 et ab auctore huius fragmenti p. 264, 8 usurpatam addo. Quod autem artigraphus de claudorum versuum genere se alio loco egisse dixit (p. 257, 2), id aliter, atque Keilius fecit, explicandum censeo, quandoquidem versus Hipponactei nomine tetrametrum quoque iambicum catalectum insignivit, quo de suo loco in capite de iambico genere se dixisse auctor libelli significare videtur.

I, 7.

Res autem ipsa eo dignior esse videtur quae a nobis aperiatur et in lucem protrahatur, quo plus ea valet ad lites grammaticorum de carmine septimo motas componendas. Cum enim iam Porphyrionis scholiastae aetate exstiterint, qui inde a versu quinto decimo huius carminis aliam oden ordiri censerent, nostra memoria Buttmannus, Doederlinus, Lehrsius, Kellerus carminis compage soluta ex una ode duo odaria fecerunt. At falsam hanc opinionem esse et Porphyrionem recte iudicasse, hac ipsa ex re apparet, quod Horatius in prima parte libri primi duo carmina eodem metri genere composita coniungere noluit; quo in argumento ex recondita arte poetae sumpto adeo acquiesco, ut alia argumenta ex carminis consilio et dispositione petenda proferre supersedeam.

Praeter numerorum rerum quoque varietatem in prima parte libri primi adornanda poeta spectavit, ut gravibus odis lusus amatorios (I 5. 8) intermisceret, carminibus in rebus Romanis versantibus graecas nugas (I 8. 11) subiiceret, denique variorum carminum genera proponeret. Atque huius quidem rei vestigia vel in titulis, singulis carminibus a grammaticis inditis, apparent, qui primam oden pragmaticen, secundam proseuticen, tertiam prosphoneticen, quartam paraeneticen, quintam prosphoneticen, sextam hypotheticen inscripserunt. Sed tota haec grammaticorum divisio, quam cum Menandri distinctione novem generum hymnorum [1]) cohaerere moneo, ineptior est, quam qua nobis in singulis carminibus Horatianis distinguendis uti liceat. Rectius tu dixeris primum carmen prooemii, alterum encomii vicem obtinere, quintum carmen amatorium (*ἐρωτικόν*) esse, nonum convivale (*σκολιόν*), decimum hymnum.

Denique hominum quoque, quibus singula carmina misit, dignitatem in digerendis suis carminibus Horatius respiciebat. Atque primo quidem loco carmen dedicatorium, Maecenati praesidio suo et dulci decori missum, optimo iure collocavit; secundus locus debebatur Caesari Augusto, principi senatus et reipublicae gubernacula tum temporis tenenti; tertium cui potius adsignari par erat quam principi poetarum eidemque amico candidissimo? Huius quidem rei admonitum Frankium ipsum suam coniecturam damnaturum nostrumque carmen ad Vergilii poetae iter Atticum relaturum fuisse confidimus.

---

1) **Menander** *περὶ ἐπιδεικτικῶν* **in Rhet. gr. ed. Sp. III, 333:** *τῶν ὕμνων οἱ μὲν κλητικοί, οἱ δὲ ἀποπεμπτικοί, καὶ οἱ μὲν φυσικοί, οἱ δὲ μυθικοί, καὶ οἱ μὲν γενεαλογικοί, οἱ δὲ πεπλασμένοι, καὶ οἱ μὲν εὐκτικοί, οἱ δὲ ἀπευκτικοί, οἱ δὲ μικτοὶ ἢ δύο τούτων ἢ τριῶν ἢ παντων ὁμοῦ.*

Libri primi carminis tertii tempore stabilito facilius tempora carminum libri primi secundi, libri secundi noni, libri tertii quinti definiri poterunt. Atque secundo carmine portenta et Tiberis diluvium post occisum C. Caesarem facta ab Horatio poeta significari scholiasta uterque opinatur. At hoc ferri non posse iam inde patet, quod Caesar Octavianus illo tempore neque Medis sive Parthis bellum inferendi consilium ceperat neque honorifico nomine principis, in versu quinquagesimo

Hic ames dici pater atque princeps

aperte indicato, ornatus erat. Accedit quod ab scriptoribus annalium nihil de inundatione Tiberis fluvii post Caesarem interemptum facta memoriae proditum est, unde scholiastas non rerum fidem secutos esse, sed ex verbis poetae male intellectis coniecturam satis futilem fecisse admodum veri simile fit. Neque diluvium Tiberis anno 727/27 factum et ab Cassio Dione 53, 20 narratum ad hoc carmen referri posse Frankius p. 146 luculenter exposuit. Nam Dionis verba '*Αὔγουστος μὲν δὴ ὁ Καῖσαρ, ὥσπερ εἶπον, ἐπωνομάσθη, καὶ αὐτῷ σημεῖον οὐ σμικρὸν εὐθὺς τότε τῆς νυκτὸς ἐπεγένετο· ὁ γὰρ Τίβερις πελαγίσας πᾶσαν τὴν ἐν τοῖς πεδίοις Ῥώμην κατέλαβεν ὥστε πλεῖσθαι, καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ μάντεις ὅτι τε ἐπὶ μέγα αὐξήσοι καὶ ὅτι πᾶσαν τὴν πόλιν ὑποχειρίαν ἕξοι προέγνωσαν. χαριζομένων δ' αὐτῷ καθ' ὑπερβολὴν ἄλλων ἄλλα, Σέξτος τις Πακούουιος, ὡς δ' ἕτεροι λέγουσιν Ἀπούδιος, πάντας ἐξενίκησεν*' satis aperte docent hoc diluvium cum cognomine Augusti Caesari Octaviano paulo ante indito coniunctum et pro fausto augurio crescentis gloriae nominis vulgo acceptum esse, cuius rei prorsus contraria carminis secundi versus 25—6 indicant:

Quem vocet divum populus r u e n t i s
Imperi rebus?

Quodsi a poeta non veram praesentis temporis imaginem expressam, sed praeteritorum temporum incertam quandam memoriam revocatam esse Frankio eiusque pedisequis largiri nolis, reliquum est, ut cum Massonio (p. 233) ad diluvium Tiberis et portenta terribilia anno 731/23 exeunte et 732/22 ineunte facta et ab Cassio Dione 53, 33 et 54, 1 relata confugias. Atque quae Cassius posteriore loco refert '*ἡ πόλις πελαγίσαντος αὖθις τοῦ ποταμοῦ ἐπλεύσθη καὶ κεραυνοῖς ἄλλα τε πολλὰ ἐβλήθη καὶ οἱ ἀνδριάντες οἱ ἐν τῷ Πανθείῳ, ὥστε καὶ τὸ δόρυ ἐκ τῆς τοῦ Αὐγούστου χειρὸς ἐκπεσεῖν. πονούμενοι οὖν ὑπό τε τῆς νόσου καὶ ὑπὸ τοῦ λιμοῦ . . . νομίσαντες οἱ Ῥωμαῖοι οὐκ ἄλλως σφίσι ταῦτα συμ-*

βεβηκέναι, ἀλλ' ὅτι μὴ καὶ τότε ὑπατεύοντα τὸν Αὔγουστον ἔσχον, δικτάτορα αὐτὸν ἠθέλησαν προχειρίσασθαι, haec cum secundo carmine, quo Caesar ut ruentis imperii rebus succurreret et deorum rubente dextera sacras arces iaculantium iram placaret rogatur, adeo conspirant, ut exstitisse post Massonium mireris, qui rei patefactae iterum nebulam offunderent. Rem ita tibi probasse mihi videor, ut nihil quod accedat argumenti desiderare te putem. Tamen hoc quoque addo, Caesarem illo tempore, quo bellum Parthicum iam moliebatur, aptissime ab Horatio, aulicorum consiliorum interprete prudentissimo, ne Medos equitare inultos sineret admoneri. Ne illud quidem nihil ponderis habere dixerim, quod Horatius minus gratum patrono suo Caesari fecisset, si in sylloga carminum edenda tam insigni loco sive, ut Pindari verbis utar, *ἐν προσώπῳ τηλαυγεῖ* vetus aliquod atque dudum divulgatum carmen, non novum praesentique rerum statui adcommodatum posuisset.

Quod Horatium aulicorum consiliorum interpretem, qui quae Caesar Octavianus Augustus ad publica commoda promovenda rogarat atque instituerat, carminum blanditiis populo commendaret, supra diximus,[1]) hoc inprimis ad sex priora carmina tertii libri pertinere pridem intellectum est.

---

1) Juvat hoc loco cum Horatii verbis conferre Augusti ipsius verba in monumento Ancyrano exhibita:

Mon. Anc.	Horatius
II 12: Legibus novi[s latis multa revocavi e]xempla maiorum exolescentia.	Od. IV 15, 12: Et veteres revocavit artes. conf. II 15, 10. III 6, 33.
II 15: [Pro salute mea quinto quoque anno per cons]ules et sacerdotes [ut vota susciperentur, senatus decrevit.	Od. I 2, 45: Serus in caelum redeas diuque Laetus intersis populo Quirini. conf. IV 5, 31–40.
II 42: [Janum] Quirin[um, quem cla]ussum esse [maiores nostri voluerunt, cum p]er totum i[mperium po]puli Roma[ni terra marique e]sse[t, no]n du[bia parta] pax .... ter me pri[ncipe cla]udendum esse c[en]sui[t.]	Epist. II 1, 53: Tuisque Auspiciis totum confecta duella per orbem, Claustraque custodem pacis cohibentia Janum. conf. Od. IV 15, 9.
IV 17: Duo et octoginta templa deum in urbe consul sex[tum ex auctoritate] senatus refeci. conf. IV 37.	Od. III 6, 1–4: Delicta maiorum immeritus lues, Romane, donec templa refeceris Aedesque labentes deorum et Foeda nigro simulacra fumo. conf. Od. II 15, 20.
V 1: Mare pacavi a praedonibus.	Od. IV 5, 19: Pacatum volitant per mare navitae.
V 40: Parthos trium exercituum Romanorum spolia et signa re[ddere] mihi supplicesque amicitiam populi Romani petere coegi, ea autem signa in penetrali quod est in templo Martis Ultoris reposui. conf. V 54.	Epist. I 18, 56: Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit Nunc et si quid abest Italis adiudicat armis. conf. Epist. I 12, 27. II 1, 256.

Neque tamen id unum poetam spectasse, ut Augusti severis legibus effrenatam populi licentiam coercentis et cives ad priscam morum integritatem fidem constantiam revocantis saluberrima consilia promoveret suaque parte adiuvaret, sed etiam eiusdem sacrorum curam et divinos honores adipiscendi ambitionem cum aliis locis, tum quinti carminis principio populo commendasse iam demonstrabo. Atque primum quidem Horatii versus

Caelo tonantem credidimus Jovem
Regnare; praesens divus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis

optime illustrari aduoto Vegetii verbis, de re militari II 5: *iurant milites per deum . . . . . . et per maiestatem imperatoris, quae secundum deum generi humano diligenda est et colenda. nam imperator cum Augusti nomen accepit, tamquam praesenti et corporali deo fidelis est praestanda devotio.* Vides igitur, cur Horatius hoc loco Caesarem sacrosancto nomine Augusti insigniverit; sed cur Jovem non Statorem aut Ultorem aut Deum Optimum Maximum, verum Tonantem dixerit, quaero. Respondent maiestatem Jovis epitheto Tonantis optime illustrari similiter atque Od. I 12, 57—8

Te minor latum reget aequus orbem;
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

neque poetae in seligendis epithetis libertatem angustioribus cancellis includendam esse. Audio neque is sum, qui hominis curiosi famam consequi velim. At si seligendi hoc ipsum epitheton certam quandam causam fuisse docebo, solam tu libertatem, an libertatem cum arte atque urbanitate coniunctam males? Kalendis igitur Septembribus in fastis Amiternis *Jovi Tonanti in Capitolio*, in Antiatibus *feriae Jovi* adscriptum (v. Th. Mommsenium in C. I. L. I p. 400) legimus, et Cassii Dionis testimonio [1]) Augustum anno 732/22 Jovis Tonantis aedem in Capitolio

1) Cassius Dio 54, 4: *τὸν τοῦ Διὸς τοῦ βροντῶντος ἐπικαλουμένου ναὸν καθιέρωσεν . . . . . τῶν ἀνθρώπων τὸ μέν τι πρὸς τὸ ξένον καὶ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ καὶ τοῦ εἴδους, τὸ δὲ καὶ ὅτι ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου ἵδρυτο, μέγιστον δὲ ὅτι πρώτῳ οἱ ἀνιόντες ἐς τὸ Καπιτώλιον ἐνετύγχανον, προσερχομένων τε αὐτῷ καὶ σεβόντων, ἔδοξε τὸν Δία τὸν ἐν τῷ μεγάλῳ ναῷ ὄντα ὀργὴν ὡς καὶ τὰ δευτερα αὐτοῦ φερόμενον ποιεῖσθαι κ. τ. λ.* Conferas Augusti rerum a se gestarum indicem p. XXV ed. Bergk. *Ἔργα καινὰ ἐγένετο ὑπ' αὐτοῦ ναοὶ μὲν Ἄρεως, Διὸς βροντησίου.*

consecrasse docemur. Accedit quod idem Cassius Dio l. t novam *Jovis aedem ab hominibus et nominis et speciei novitat* notis ad- *modum frequentatam esse. Quid igitur mirum, si Horatiu* que Jovis *tonantis mentione iniecta tam populi favorem quam August* iam cap- *tasse indicamus? Hoc autem etiam magis tibi probatum iri* o, si reli- quis quoque, quae in hoc carmine exstant, indiciis ad temp edicationi illius aedis proxima nos deduci demonstravero. Atque ut ma tem- poris futuri *habebitur* poeta Britannos Persasque illo temp nondum imperio Romano adiectos fuisse significavit, ita divinos Aug i honores cum clade illarum gentium coniuncturus fuisse non videtur, si bellum adversus illos populos iam paratum felicisque exitus laeta sp concepta esset. Sed cum eodem tempore utrique populo bellum non atum sit, alterumque alteri eo consilio adiunxisse poeta videatur, ut omnes gentes ab ultima occidentis plaga usque ad orientalem [1]) imperio Romano Augustum iam subiecturum esse indicaret, quaeritur, utri genti tum maxime bellum paratum sit. Hac autem de re ne diu ambigamus, poeta ipse effecit, quippe qui toto reliquo carmine ignaviam militum Crassi Persarum servitutem patienter ferentium increpet atque generoso animo Reguli mortem dedecori praeferentis contrariam ponat. Neque equidem refragabor, si quis, quo tempore Horatius hoc carmen scripserit, non solum Romanos bellum contra Parthos parasse, sed milites Crassi a Phraate, rege Parthorum, iam redditos esse dixerit, id quod anno 734/20 factum esse Cassius Dio 54, 8 his verbis narrat: *Φραάτης φοβηθείς, μὴ καὶ ἐπιστρατεύσῃ οἱ, ὅτι μηδέπω τῶν συγκειμένων ἐπεποιήκει τι, τά τε σημεῖα αὐτῷ καὶ τοὺς αἰχμαλώτους πλὴν ὀλίγων, οἳ ὑπ' αἰσχύνης σφᾶς ἔφθειραν ἢ καὶ κατὰ χώραν λαθόντες ἔμειναν, ἀπέπεμψεν.* Illud certe mordacitus teneo, hoc carmen post Kalendas Septembres anni 732/22 scriptum videri.

II, 9

Secundi vero libri carmen nonum adeo in Armeniis oris (v. 5) locisque expeditione orientali anni 734/20 celebratis (v. 20 sqq.) versari, ut, nisi summa necessitate in contrariam sententiam compellamur, nobis non liceat hoc carmen ab illa expeditione atque rebus ab Dione 54, 9 narratis seiungere, cum alii tum elegantissimus censor editionis Schützianae A. du Mesnil in Fleckeisenii Annalibus philol. CXI a. 1875 p. 554 scite nuper comprobavit. Quae res cum in clara luce posita sit neque argumentandi subtilitate indigeat, nihil est, cur longae disputationis ambagi-

1) Hunc in modum rectissime iam Porphyrio scholiasta Horatii verba interpretatus est.

bus te moremur. Maiore iure ambigas, utrum libri primi carmen vigesimum cum Kirchnero (Quaest. Horat. p. 9) et Grotefendo (Ersch-Gruber Encycl. II 10 p. 473) anno 734/20 scriptum esse censeas, an cum Frankio ad annum 730/24 reiicias. Namque libri tertii carmen octavum, unde huius quoque carminis temporis definitio pendet, licet certissima temporis argumenta atque indicia id continere Ecksteinius[1]) dixerit, alii a. 734, alii a. 729, alii denique a. 725 exaratum esse ita statuerunt, ut ex temporum indiciis vv. 16—24 propositis

Mitte civilis super urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestis sibi luctuosis
Dissidet armis;
Servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
Jam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis

aliud alius arriperet. Sed si cum Frankio p. 158—162 carmen octavum libri tertii et proximo, quo Horatius arboris ictu paene interemptus est, anno et eodem, quo libri tertii carmen undetricesimum, tempore[2]) sive anno u. c. DCCXXVIIII compositum esse iudicamus, carmen vigesimum I. 20
libri primi priori quam anno 733/21 adsignare non possumus, nisi forte Horatium adeo omni verecundia et sensu decori caruisse sentimus, ut suo Maecenati non modo vile, sed etiam insalubre necdum defaecatum vinum[3]) apponere non dubitaret. Verum hanc temporum rationem, quam nostrae sententiae quam maxime favere patet, quo minus amplectamur, Daci Cotisonis cladis commemoratione (I 20, 17) prohibemur, siquidem belli cum Dacis a Romanis anno 729/25 gesti auctorem habemus nullum. Quodsi cum Schützio eo inclinamus, ut libri tertii carmen octavum a. 725/29 exaratum esse iudicemus, nihil iam causae est, cur hoc, de quo agimus, carmen a. 724 vel 723 scriptum esse infitias eamus. Sed tota hac quaestione spinosa supersedere potuissemus, si cum Peerlcam-

1) Scholae Horatianae p. 2.

2) Hoc Frankius p. 161 ex similitudine, quae inter Od. III 8, 19 *Medus infestus sibi luctuosis Dissidet armis* et Od. III 29, 27 *Quid Seres et regnata Cyro Bactra parent Tanaisque discors* colligendum esse putavit.

3) Hac de re conferas Ad. Kiesslingii libellum, Horatianische Kleinigkeiten p. 6.

pio et Lehrsio hoc carmen damnare quam suo tempori inserere maluissemus.[1])

Ex iis quae huc usque disputavimus apparet esse inter carmina priorum trium librorum Horatii, quae annis 722—724 vel 722—725 scripta esse videantur, unde consequitur editionem carminum ab Horatio ante annum 724 vel 725 factam non esse. Jam videamus, num quid ex iisdem tribus libris carminum afferri possit, quod hanc sententiam elevet atque evertat. Atque quod Frankius p. 63 carminum editionem ante a. 731/23 factam esse putavit, quod Marcellum Octaviae sororis Augusti filium illo anno praematura morte absumptum Horatius lugubri carmine non prosecutus sit, id prorsus nihili aestimandum esse iudico. Equidem enim Horatium meum inficetorum versificatorum omnes suae et fautorum suorum vitae casus crassa Musa illustrantium adeo non similem cognovi, ut ex tali silentio quidquam colligi posse negem.

Plus ponderis habet alterum argumentum, quod idem Frankius p. 62, Vanderburgii argumentationem secutus, ex Licinii Varronis Murenae turbulentis consiliis tristique fato repetivit. Hunc enim virum nobilissimum in suspicionem coniurationis cum Fannio Caepione contra salutem Caesaris Augusti a. 732/22 initae venisse et auctoritate publica oppressum Maecenatis, qui sororem eius in matrimonium duxerat, precibus reiectis interfectum esse Dio 54, 3, Velleius 2, 91, Suetonius Aug. 19, 66, Tib. 8, Seneca de clem. 9 memoriae prodiderunt. Inde veri simile esse Frankius collegit Horatium, si post annum 732 carmina edidisset, duas odas in honorem Licinii Murenae II 10 et III 19 suppressurum neque in corpus carminum evulgandorum recepturum fuisse, praesertim cum non solum Augusti, verum etiam Maecenatis animum ne offenderet[2]) verendum ei fuerit. Huic argumento, acute sane invento, non ita obviam ibo, ut sicut Homerum aliquando dormitasse, ita Horatium verecundiam nonnumquam deposuisse dicam et ad decantatum illud *Catonis nobile letum*

1) Scite hoc odarion contra fastidiosa iudicia morosorum grammaticorum defendit Ecksteinius in Scholis Horatianis p. 2—11.

2) Maecenati memoriam Licinii resuscitatam ingratam futuram fuisse, ex iis merito concludere videntur, quae de Augusto eius deprecationem neglegente et Terentiae uxori succensente rettulerunt Cassius Dio 54, 3: '*οὐδὲ ἐπήρκεσεν τῷ Μουρήνᾳ οὔτε ὁ Προκουλήιος ἀδελφὸς ὢν οὔτε ὁ Μαικήνας τῇ ἀδελφῇ αὐτοῦ συνοικῶν, καίπερ ἐς τὰ πρῶτα ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου τιμώμενοι.*' Suetonius Aug. 66: 'Desideravit Augustus . . . Maecenatis taciturnitatem, cum . . . secretum de comperta Murenae coniuratione uxori Terentiae prodidisset.' Eodem pertinere videtur Dio 54, 19: *τῷ Μαικήνᾳ διὰ τὴν γυναῖκα οὐκέθ' ὁμοίως ἔχαιρεν Αὔγουστος.*

(I 12, 36) provocem. Etenim ne mihi quidem illud praeconium Catonis, infestissimi Julii Caesaris inimici, in carmine Caesari Octaviano misso et in praedicanda Julia gente versante, ferendum videri et Bentleium interpolatione ista rhetoris nescio cuius eiecta et lectione *anne Curti nobile letum* revocata poetae genuinam manum restituisse alio loco [1]) probavi. Sed duas res mecum reputes velim: primum plurimum interesse, utrum Murenae honorificam mentionem carmine post conspirationem eius detectam scripto Horatius fecerit, an carmina dudum composita et in circulis amicorum circumlata ex sylloge carminum non secluserit; prius enim si commisisset, impudentiae et vesaniae in crimen merito eum incursurum fuisse, alterum si facere dubitasset, ne turpis assentationis abiectaeque humilitatis incusaretur, eo magis ei verendum fuisse, quo maiorem amicorum plausum carmina tersissima tulissent. Deinde duorum illorum carminum colorem eum esse reputes, ut inverecundiae et procacitatis nullam speciem prae se ferant; altero enim III 19 bacchici furoris pleno convivii profusam licentiam graecorum dithyramborum more ita illustrari, ut *Murenae auguris* honos secundas aut tertias partes obtineat, altero vero III 10 auream mediocritatem tam praeclare laudari atque commendari, ut praecepta sapientissima non tam ad Licinium quam ad omnes homines pertinere videantur. Quae cum ita sint, si in una parte trutinae Licinii Murenae mentionis non devitatae imprudentiam, in altera veterum scriptorum fidem et iustae interpretationis necessitatem posueris, te potius post Vergilii iter Atticum paratum quam ante Murenae coniurationem patefactam sua carmina Horatium in lucem edidisse iudicaturum esse confido.

Carmina ipsa si spectamus, editionem trium priorum librorum anno 734 vel 735 factam esse veri simillimum est. Tantum autem argumenta a nobis allata valere mihi videntur, ut ne si epistolarum quidem loci in contrariam opinionem trahant, a proposita sententia nobis recedendum esse videatur. Quae enim Horatius epistola tertia decima de voluminibus carminum Caesari Augusto mittendis, undevigesima de sua fidicinis Latini laude dicit, ea etiamsi ad editionem trium librorum carminum

1) Die Verskunst des Horaz im Lichte der alten Ueberlieferung [Sitzungsber. der bayr. Akad. 1868 S. 41 Anm. 17.]

factam probabiliter referuntur, tamen ita quoque explicari possunt, ut ad carmina sive Augusti admonitu scripta sive amicorum favore divulgata spectare perhibeantur.[1]) Sed cum quae carmina — de paucis autem carminibus quominus cogitemus vi vocabuli voluminum prohibemur — Horatius selegerit Augustoque miserit, ad divinandum difficillimum sit, neque nisi summa necessitate coacti ad aliam rem quam editionem trium librorum carminum duas illas epistolas referre velimus, ipsos epistolarum locos iam accuratius inspiciamus, num cum odarum temporibus, quae nos quidem statuimus, adversa illi fronte pugnare videantur.

Atque duas res ex epistolis XIII XIX XX consequi videri supra dixi, et carminum libros tres ante epistolarum librum primum et epistolarum librum ipsum ante mensem Decembrem anni 734/20 in lucem editum esse. Harum autem rerum satis rationem iam haberi dixeris, si ea quam supra pag. 9 probavi ratione anni 734 verno tempore paulo post quam Vergilius iter Atticum paraverit carmina, epistolas eiusdem anni mense Novembri evulgatas esse statuerimus. At sex septemve mensium intervallum inter carminum et epistolarum editiones angustius esse concedo, quam quod cum rebus in prima et undevicesima epistola propositis apte conciliari possit. Illa quidem, quae in prima epistola Horatius de *antiquo ludo* et *mutata aetate et mente* dicit, ea ne dialectica subtilitate et quasi calculis adhibitis interpreteris, sedulo cavendum est. Etenim ne si quatuor quidem vel quinque annorum spatium intercessisse cum Frankio statueris, commode Maecenati nova carmina poscenti ita suam socordiam excusare Horatius potuit, ut non iam eandem sibi esse aetatem diceret. Praeterea cum ea tempora, quibus amatoriis, quae proprie ludere poetae dicebantur, carminibus, velut suavissimis de Licymnia seu Terentia,

---

1) Hoc loco monere iuvat ne commode quidem epistolam tertiam decimam anno 730, quo Frankius carminum editionem factam esse censet, adsignari posse. Licet enim Vinnium ipsum ad Caesarem poeta non miserit, sed festiva simulatione usus sit, nihil tamen attinebat eum admonere

Viribus uteris per clivos flumina lamas

nisi longo itineris intervallo tum temporis Octavianus et Horatius inter se distabant. Jam quod Frankius Orellius alii ab agro Sabino Horatium Caesari in urbe versanti epistolam illam cum carminum voluminibus tum maxime editis misisse arbitrantur, id omni probabilitate carere mihi videtur; Romae enim, non ruri Sosiorum, qui libellos exarandos convolvendos expoliendos curabant, fabricae atque columnae erant; unde multo certe est veri similius, ab urbe Roma poetam librorum suorum editionem curantem Augusto foras versanti nitidum exemplar carminum misisse. At hoc anno 734 factum esse, vix poetae fingere licuit, quandoquidem illo anno Augustum urbe Roma non afuisse annalium fide satis constat.

coniuge Maecenatis, versibus pangendis vacarit, significare videatur, neque ullum ex quatuor, quae post annum 732 scripta esse docui, carminibus eroticae poesis generi adscribendum sit, hoc quoque nomine meam causam contra adversariorum opinionem defendendi copia mihi facta est. Denique quod poeta v. 10 *versus et cetera ludicra* se ponere dicit, eo ne propriae verborum notioni in carminibus interpretandis nimium tribuamus monemur, quandoquidem epistolae quoque versibus sive pedibus dactylicis inclusae sunt. Sed ut spinosae interpretationis argutias fugiamus et plus, quam nostra memoria viri docti consueverunt, poeticae licentiae largiamur, tamen intervallum annuo longius inter editionem carminum et epistolae primae compositionem intercessisse admodum veri simile est. Eandem vero in sententiam epistola undevicesima diligentius examinata deducimur. Quamvis enim ea non multo post odarum editionem scripta esse videatur, tamen aliquantum temporis, quo fama novorum carminum divulgaretur, intercessisse necesse est. Namque non solum grammaticorum cavillationes, quod eorum pulpita ambire noluerit, se expertum esse, sed etiam suorum carminum imitatores iam exstitisse poeta illa epistola significat. Quodsi argutari nolimus, fateamur necesse est, epistolas primam et undevicesimam si minus multis annis, at certe aliquanto post carmina evulgata scriptas esse videri.

Alterum igitur quaerere iuvat, num ante mensem Decembrem anni 734/20 epistolas editas esse ut statuamus, prorsus necessarium sit. Kirchneri quidem (Quaest. p. 36) commentum, librum primo versu epistolae vicesimae commemoratum

Vertumnum Janumque, liber, spectare videris

non epistolarum, sed epodon intellegentis ut comprobemus tantum abest, ut Lachmanno et Frankio manus dare quam tales latebras quaerere malimus.[1]) Sed ipsos huius epistolae versus, quibus temporis nota inesse videtur, accuratius excutiamus:

Forte meum siquis te percontabitur aevom,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo dixit Lollius anno.

---

1) Ut appareat, nihil tam perversum esse, quo non perversius inveniri possit, nuper O. Müllerus in programmate gymnasii nescio cuius Berolinensis, Ein Begleitschreiben des Horaz zu seinen Sermonen p. 7 hanc epistolam vicesimam libris duobus satirarum et priori epistolarum coniunctim edendis ab Horatio comitem adiunctam esse commentus est; quam opinionem refellere eo magis supersedeo, quod nihil ea probata ad temporum difficultates enodandas lucramur.

Numquid pluris, poterit aliquis quaerere, cognovisse hominum interfuit, quo anno una haec epistola, quam quo tempore totus liber epistolarum conscriptus fuerit? quid igitur obstare, quominus Horatium plurium, quibus epistolis scribendis vacabat, annorum medium quendam illis versibus significare voluisse statuamus? Equidem istam interpretandi rationem non futilem ineptamve esse dixerim, verum tamen artificiosiorem, quam cui alia superstruere audeam. Consimile in crimen artificiosae argumentationis inruere primo saltem aspectu videtur, si quis poetam non quo anno epistolam scripserit, sed quem aetatis annum Lepido et Lollio consulibus egerit, indicare voluisse dixerit. Rerum naturae sane adcommodatum fuisse videtur, ut utrumque poeta significaret, et annum suae aetatis et tempus conscriptae epistolae. Quid autem, si verborum natura et numerorum difficultas poetae impedimento erant, quominus simplicem et apertam viam ingrederetur? Atque aetatis quidem annum quadragesimum quintum versu altero sic mutato

Me ter quindenos sciat implevisse Decembres

facile notare poterat; at ex nominibus consulum illius anni Appuleii et Silii summae difficultes ei subnascebantur. Nam Appuleii nominis mensura ea est, ut nisi nativa syllabarum quantitate neglecta nullo modo dactylico metro includi possit. Quod autem licentiae in carmine III 4, 9

Me fabulosae Volture in Apulo
Altricis extra limen Apuliae

Horatium sibi sumpsisse putant, id in sermonibus et in nomine viri consularis ne ii quidem ferrent, qui illo loco fidem codicum sequi, quam virorum doctorum coniecturas probare malunt. Minores difficultates praebebant nomina consulum anni sequentis Saturnini et Lucretii, sed aetatis annus XLVI nec in duas partes commode dividi nec lustrorum notatione exprimi poterat. Quae cum ita sint, angustiis nominum numeralium et propriorum, quae ut metrorum legibus accommodarent vel optimi poetae ab artificiosis adminiculis vel insolita dicendi ratione non abhorruerunt, Horatium quoque compulsum esse iudico, ut quo tempore epistolarum librum primum scripserit magis adumbrarit quam definiverit.

Eo iam disputatio deducta est, ut operae pretium sit quaerere, num quae temporum indicia lateant in epistolis ipsis, quibus unam alteramve post mensem Novembrem anni 734/20 scriptam esse colligere nobis liceat. Atque quae in epistola XII extrema legimus:

Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; ius imperiumque Phrahates
Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.

ea si cum Dione 54, 11 contuleris, facile induceris, ut hanc epistolam anni 735 aestivo tempori assignandam esse putes. Nam Cantabros quidem ab Agrippa duce devictos Dio ea libri parte refert, qua res Sentio et Lucretio consulibus gestae narrantur. Verum ex hoc loco Horatiano ipso apparet, Dionem, ne rerum ab Augusto in orientali expeditione et deinceps Romae gestarum seriem importune interrumperet, finita illa operis parte ad res ab Agrippa annis 733 et 734 gestas rediisse; unde Massonius p. 298 hanc epistolam sub auctumnum anni 734 Iccio missam esse rectissime iudicavit.

Plus scrupuli movent tempora epistolae XVIII versibus 54—7 significata:

denique saevam
Militiam puer et Cantabrica bella tulisti
Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
Nunc et siquid abest Italis adiudicat armis.

Nam si nihil nisi recepta ab Phrahate Parthorum rege signa his verbis poeta indicare voluit, hanc epistolam non solum anno 734, sed etiam ante epistolam duodecimam scriptam esse fatearis necesse est. Cassius enim Dio 54, 7—9 res ab Augusto in oriente anno 734 gestas ita narrat, ut primum verno tempore cum castra movisse et Bithyniae res ordinasse, deinde Phrahatem, ne Romanis armis lacesseretur veritum, signa Crassi legionibus ablata Augusto reddidisse, ad postremum Tib. Claudium Neronem Armeniis arma intulisse et Tigranem regem deduxisse referat. Quamobrem cum Armeniorum a Tiberio pacatorum rumor sub auctumnum in Italiam perlatus sit, signorum a Parthis redditorum nuntium inter vernum et auctumnale tempus Romam venisse necesse est. Accedit, quod ludos Martios, quos memoriae signorum receptorum conservandae causa institutos esse Ovidius Fast. V, 580 testatur, die IV Id. Maias agi fasti Maffeiani et Philocalonis confirmant, licet aedem Martis Ultoris non mense Maio [1])

[1]) Maio mense, non Augusto ludos Martios etiam anno 12 p. Ch. n. actos esse, quo de ambigi posse Mommsenius l. l. dixit, ex verbis Dionis 56, 27 consequitur: *τά τε ἄρεια τότε μέν, ἐπειδὴ ὁ Τίβερις τὸν ἱππόδρομον προκατέσχεν, ἐν τῇ τοῦ Αὐγούστου ἀγορᾷ καὶ ἵππων δρόμῳ τρόπον τινὰ καὶ θηρίων σφαγῇ ἐτιμήθη.* Mense enim Augusto, quo penuria magis quam abundantia aquae omnes fontes laborant, Tiberim fluvium campos adiacentes inundasse parum probabile est.

sed Kalendis Sextilibus dedicatam esse Mommsenius C. I. L. I 393 planissime demonstravit. Quodsi quaeris, cur mense Maio, non Augusto ludi Martii celebrati sint, suspicari licet nuntium signorum receptorum illo mense ab oriente Romam adlatum et ab senatus consulto in aede Martis Ultoris signa reponenda censentis originem ludorum repetendam esse. Erunt tamen, quibus plus probabilitatis altera suspicio habere videatur, die IV Id. Maias anni 735 vel 736 aedem Martis Ultoris Capitolinam, in qua primum recepta signa reposita sunt,[1]) perfectam et dedicatam esse, siquidem dedicationis dies cum sacrorum et ludorum solemnitate fere coniunctus erat. Qua de causa si in versu illo Horatiano verbum refigendi sensu proprio accipi et Augustum ipsum in aede dedicata arma refixisse dici malis, hanc epistolam a. 734 scriptam esse non negare non poteris.

Epistolae vero XVII versus 33—35

Res gerere et captos ostendere civibus hostes
Attingit solium Jovis et caelestia tentat:
Principibus placuisse viris non ultima laus est

aut nihil prorsus adsignificant aut Augustum et Agrippam hostibus devictis in urbem redeuntes et triumphi honore ornatos.[2]) Alterum cum unice mihi probetur, equidem hanc epistolam anno 735/19 sive post mensem Decembrem anni 734 scriptam esse nullus dubito.

Denique quod epistolam tertiam ineunte, ut videtur, anno 734 Julio Floro in orientem missam, necnon epistolam duodecimam auctumnali tempore eiusdem anni 734 Iccio, Siciliensium praediorum Agrippae procuratori, scriptam attinet, hoc te tenere velim, impudentis rusticitatis crimen ne subiret poetae verendum fuisse, si epistolas, priusquam in eorum, quibus quaeque missa erat, manus pervenire potuissent, evulgatas in columnis bibliopolarum prostare sivisset. Neque vero ministrorum frau-

1) Vide Dio 54, 8: *ἀμέλει καὶ θυσίας ἐπ' αὐτοῖς καὶ νεὼν Ἄρεος τιμωροῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ κατὰ τὸ τοῦ Διὸς τοῦ φερετρίου ζήλωμα πρὸς τὴν τῶν σημείων ἀνάθεσιν καὶ ψηφισθῆναι ἐκέλευσε καὶ ἐποίησεν.* Quo loco cum nihil de ludis Martiis hoc tempore institutis dicatur, aut nullos ante a. 752 actos aut aede illa Capitolina dedicata eos institutos esse conicias. Illud tamen mireris, quod Augustus ipse in Indice rerum a se gestarum IV 38 ludos Martios se consule XIII sive anno 752 institutos esse dicit. Martis enim nomine soli ludi magni mense Maio celebrati dicti esse videntur.

2) Conf. Dio 54, 8: *προσέτι καὶ ἐπὶ κέλητος ἐς τὴν πόλιν ἐσήλασε καὶ ἀψῖδι τροπαιοφόρῳ ἐτιμήθη.* Quod autem Dio 54, 10 Augustum hunc honorem triumphi declinasse et nocte urbem intrasse refert, equidem non curo, siquidem hoc altero loco Dionem rem parum diligenter rettulisse inde apparet, quod eius narrationem cum verbis Augusti ipsius nonnihil pugnare Bergkius in editione Monumenti Ancyrani p. 48 docuit.

dem lucrique studium, quae his temporibus, si quae regum epistolae, antequam regibus fratribus reddantur, in publicis actis vulgo leguntur, culpari solent, Horatio praetexere licuisset, ut cuius puerorum fides neque bibliopolarum neque senatorum promissis tentaretur.

Temporum igitur indicia, quae in epistolis ipsis inveniuntur, examinantibus liber primus epistolarum anno 734/20 nondum absolutus neque in publicam lucem emissus esse probatur, unde etiam magis nobis cavendum est, ne consulibus Lepido et Lollio in extrema epistola commemoratis in arctum compellamur reique ambiguae plus ponderis tribuamus quam certis indiciis. Totius autem disputationis capita ut brevi iam comprehendamus, carminum libros tres coniunctos anni 735/19 verno tempore, vel potius anno 734/20 editos esse pro explorato habemus, epistolarum librum primum post carmina iam divulgata anno 735/19 vel 736/18 foras emissum esse veri simile esse ducimus.

Spatium iusto maius ne vacuum relinqueremus, ex schedis meis Horatianis duo frustula depromere visum est, quibus codicum optimorum fidem defenderem vel potius neglectam in lucem protraherem.

Libri quarti carmen octavum ad Censorinum missum cum aperte labem traxerit et foedam interpolationem perpessum sit, strophae quarta et quinta imprimis ingenia virorum doctorum exercuerunt. Nuper Madvigius in Adversariis criticis II, 52 loco conclamato ita succurrit, ut eiectis versibus 16 et 17 atque genetivo *celeris fugae* de coniectura reposito scriberet:

Non incisa notis marmora publicis,
per quae spiritus et vita redit bonis
post mortem ducibus non celeris fugae,
eius, qui domita nomen ab Africa

Lucratus rediit, clarius indicant
laudes quam Calabrae Pierides.

At quamquam hoc modo et strophicae compositionis legi satisfecit et turpem errorem contra annalium fidem ab interpolatore commissum removit, tamen Horatium tersissimum poetam tam salebrosa verborum structura utentem facit, ut vel qui maxime viri egregii acumen laudant huic coniec-

turae suum calculum adicere dubitent; unde qui novissime huic carmini operam navarunt, Kiesslingius in Ind. lect. Gryphiswald. a. 1874, Haeussnerus in progr. gymn. Friburgensis a. 1876, Schuetzius in editione carminum a. 1874 prorsus alias vias ingressi sunt. Verum quod Madvigius in optimis codicibus Kellerianis non *celeres fugae*, sed *celeris fuga* exaratum esse monuit, equidem ita comprobo, ut lectione illa non correcta sed reposita, eiectis autem versibus interpolatis 17 et 28 Horatio suam manum reddidisse mihi videar.

Eiusdem libri quarti carmen secundum ad filium M. Antonii triumviri scriptum esse scholiastae memoriae tradiderunt; plenum autem huius viri nomen *C. Julium Antonium* fuisse et codicum optimorum fide constat et lapidum nummorumque titulis ab Ad. Kiesslingio in Ind. lect. Gryphisw. a. 1876 confirmatum est. Refragari videtur unus versiculus Horatianus IV, 2, 2:

Pindarum quisquis studet aemulari,
Jule, ceratis ope Daedalea
nititur pennis

unde interpretes et editores nihil non sive emendando sive argutando moliti sunt. Rectam viam hoc loco praemonstrant codices optimae notae Parisini φ et ψ, quos cum omnibus fere locis conspirent Kellerus una litera F denotavit. Namque quod in illis codicibus scriptum exstat *Julle,* id ex plena forma *Julie* ita deformatum est, ut litera *i* vocalis primum pinguesceret, deinde antecedenti literae *l* adsimilaretur. Sive autem illud *Julle* Horatio reddere sive *Julie* scribere malueris, eadem certe licentia hoc loco poetam usum esse concedes, qua Od. III 4, 41. III 6, 6 Sat. II 8, 1 eum usum esse constat.



Augustae Vindelicorum, Typis J. P. Himmeri.

ιic carmini
ιeussnerus
carminum
n optimis
:um esse
reposita.
n reddi-

trium-
n huius
constat
phisw.
ɔratia-

ndo
ιtae
ιna
id
in-
lud
ιoc
1

Augustae Vindelicorum, Typis J. P. Himmeri.

